

At nos reliquæ Fatorum , & cladis acerbæ
 Quidnam agere ? amissis rebus , Patriaque , suisque
 Merentes alii Divos exposcere mortem
 Certabant ; alii contra non vulneris iætu
 Expertes tamen huc atque illuc vociferantes ,
 Vitai nimium cupidi , mortem fugitabant ,
 Et terram effuso signabant sanguinis imbre :
 Interdum tamen a tergo velocior instans
 Mors veniebat ob exhaustas vel denique vires ,
 Vel quia murorum deprensos desuper ingens
 Maestabat casus : nonnulli membra trahentes
 Post se se lacera , & laniatos ictibus artus
 Reptabant per saxa , suosque in opem vocitabant ;
 Demum opis expertes , deserti , ut bucera sæcla ,
 Tristem exhalantes animam inter saxa cadebant .
 Qui fuerant autem juvenili robore freti
 Viribus intactis , & amor pietasque suorum
 Quæsis mestum desiderio cor fixerat acri ,
 Ibant huc illuc , evolvebantque ruinas ,
 Et collapsarum certabant saxa domorum
 Eruere , amissam Prolem , seniumque Parentum
 Cum gemitu , & lacrymis , & luctuoso ululatu
 Quærentes sub eis , iterumque iterumque vocantes .
 Flamma vorax totam dein ingens orta per Urbem
 A consanguineis disjunxit denique mestos
 Corporibus , sanctoque ingratis , pro fera fata !
 Vulsit ab officio . Nostris hoc denique deerat
 Ærumnis ; ipsum Urbis uti quoque conficeretur
 Triste cadaver , & in miserat quoque dira ruinas
 Sæviret Fortuna : cremantur corpora passim
 Exanimum , & pariter viventum : namque sub ipsis
 Lapsi qui domibus vitarunt funera lethi ,
 Sub Tignis , sub Fornicibus , sub pariete fracto
 Subque cavis circum occlusi , obstructique ruinis ;
 • Posterius tamen hos lethi vis corripiebat
 Sævior , heu ! vivos dissolvens ignibus artus .